



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

EDGARIO ARCHIEPISCOPO PEÑA PARRA

Venerabili Fratri

EDGARIO PEÑA PARRA

Archiepiscopo titulo Teleptensi

Substituto pro Negotiis generalibus Secretariae Status

Christi claritate omnes homines exoptans illuminare Mater Ecclesia, cum «sit in Christo veluti sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis» (*Lumen gentium* 1), opus est Eam denuo etiam per Confraternitates evangelizare pergere, quae lumen, redemptionem et gratiam Salvatoris cunctis afferant (cfr. s. Ioannes Paulus II, *Iubilaeum Internationale Confraternitatum*, I Aprilis MCMLXXXIV). Persuasum enim habemus popularem pietatem nostrae aetatis hominibus mulieribusque vim valde evangelizationis efficacem constituere (cfr. *Evangelii gaudium* 126), quaeque porro «aliquam Dei sitim portendit, quam simplices pauperesque spiritu uni possunt experiri; hominibus tribuit facultatem sese devovendi et strenue impendendi ad apicem usque virtutis, cum de fide profitenda agatur» (s. Paulus VI, *Evangelii nuntiandi* 48).

Qua Evangelii cor nostrum alentis vel sustentantis conscientia animati, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, potissimum laetamur de II Congressu Internationali Confraternitatum atque Popularis Pietatis, qui, argenteo exacto anniversario a prima ipsius celebratione, praeclara in urbe Hispali proximo mense Decembri agetur.

Tantam ergo recolentes occasionem, ut inter sollemnia perfrui possent christifideles praesentia ac verbo alicuius Excellentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat atque erga istum Congressum dilectionem Nostram manifestet, Venerabilis Fratris Iosephi Angeli Saiz Meneses, Archiepiscopi metropolitae Hispalensis, humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater, mentem Nostram vertimus, qui cotidiano in Nostro ministerio exercendo pervalidum Nobis praestas

auxilium ac praecipua pietatis populorum Hispanicorum optime comperis, ut hodie peraptus videaris hanc ad legationem obeundam. Idcirco, hisce Litteris Te Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad sollemnia, quae proximo die IV mensis Decembris Hispali incipientur, qui etiam in historia cuncti sancti populi Dei pietatis peculiari insignitur significatione.

Libenter, ergo, tibi potestatem facimus, dum celebrationibus inaugurationis praesidebis, illum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut, Beata Maria Virgine Macarena maternam suam dispensante caritatem, popularis fidelium pietas, Spiritus Sancti amoris igne succensa, altum spei iter ingignat atque, sicut modo Nos Ipsi diximus, systema immunitarium multis ab Ecclesiae subdolis periculis. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo coetui ibi congregato.

Dum tibi, Venerabilis Frater, benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut hic Congressus Confraternitatum quae diligentia perscrutatur semper ea teneat in opere.

Datum Romae, Laterani, die XXI mensis Novembris, in memoria Praesentationis Beatae Mariae Virginis, anno Domini MMXXIV, Pontificatus Nostri duodecimo.

FRANCISCUS